

Q.K.  
434  
8.

(X 1876400)

II R  
1494

GERMANUS  
CONSILIARIUS  
*SIVE*  
SOLERTIA IN ADMINISTRANDA  
REPUBLICA  
PRISCORUM GERMANORUM.

*Delineata*

à

POLYCARPO MARCI.

Prid. Idus April.

L I P S I Æ,

Literis CHRISTIANI FICKII.

1671.



C. II



1092

GERMANIA  
CONSTITUTIONES  
SOME OF THE  
LAW  
PREFACE  
BY  
LORD DAVENPORT  
THE  
LAW  
OF  
THE  
GERMAN  
EMPEROR



REVERENDISSIMI SERENIS-  
SIMIQVE

PRINCIPIS ac DOMINI,

D O M I N I

CHRISTIANI

SAXONIÆ, JULIACI, CLI-

VIÆ AC MONTANIÆ DUCIS, EPI-

SCOPATUS MARTISBURGENSIS POSTULATI

ADMINISTRATORIS, LANDGRAVII THURINGIÆ,

MARCHIONIS MISNIÆ, UTRIUSQUE LUSATIÆ,

MARCÆ ET RAVENSBURGI COMITIS,

DYNASTÆ IN RAVENSTEIN.

DOMINI MEI CLEMENTIS-

SIMI.



1094

FILIIIS  
PATERNARUM VIRTUTUM EX ASSE  
ÆMULIS

*ILLUSTRISSIMIS AC CELSISSIMIS*  
D O M I N I S

DN. CHRISTIANO

DN. AUGUSTO

DN. PHILIPPO

DN. HEINRICO

DUCIBUS SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC  
MONTIUM, LANDGRAVIIS THURINGIÆ, MARCHIO-  
NIBUS MISNIÆ, UTRIUSQUE LUSATIÆ, CO-  
MITIBUS MARCÆ ET RAVENSBUR-  
GI, DYNASTIS RAVEN-  
STEINII,

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS  
OMNI VIRTUTUM GENERE PRÆFUL-  
GENTIBUS

*DOMINIS MEIS CLEMEN-  
TISSIMIS*

D. D. D.



ERMANUM CON-  
 SILIARIUM, quo  
 quicquid circa Majo-  
 rum nostrorum de Re-  
 publica confilia dignum memora-  
 tu occurrebat, explicatur, fisto en  
 Vobis, ILLUSTRISSIMI PRINCIPES,  
 non ut præcepta regiminis Vobis  
 præscribam; utut enim pulchrum  
 sit præcipere qualis debeat esse  
 Princeps, idem tamen & onero-  
 sum ac poene superbum videri pot-  
 est: sed ut tantillum signum, non  
 ingrætæ mentis & veluti postlimi-  
 nio rediens ad pedes Celsitud.

)o( 3

V.V.de-





V.V. deponerem. Non hic ope-  
rose Vestrae in me Maxx. PP. & di-  
gni incluto Saxonum Heroum san-  
guine, Gratiae & Coelestis Favoris  
documenta confarcinabo, non  
ijsdem pæne studijs adhibitam pue-  
ritiam, non eodem loco adhuc me-  
am parvitatem apud Vos durare al-  
legabo, nec quæ forte vel Familiae  
vel Parenti ingentia collata sunt  
Beneficia, longiore memoria re-  
petam, mihi satis fuerit testificari  
non in penitus ingratum licet mi-  
nime meritum tantum Affectus  
profusum fuisse. Si tamen non au-  
daciae est Augustissimæ adeo Bene-  
volentiae memoriam brevi charta  
terminare velle; Mola falsa litant,  
qui farra non habent, olim ad Ve-  
spa-



spasianum Imperatorem Plinius  
scripsit, idem cum mihi nunc usu  
veniat, nihil habeo addere, nisi me  
nunc & olim vivere

V.V.V.V. C.C.C.C.

vel prisca Solduriorum

Lege devotum

*Polycarpum Marci.*



1098

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Fragment of text and a decorative initial from the adjacent page on the right.







Σ. Τ. Θ.

Magnifice Academiae **RECTOR**, Et vos  
 qui sacrorum cultu, legali scientia, salu-  
 tem hominibus dando, & subtili eruditio-  
 ne orbi innotuistis, Tuque Nobilissima  
 studiosorum circumfusa Germana con-  
 cio, felici proventu olim Remp. auctura.



**R**efert T. Pomponius (a) *Servium* (b) qui  
 in causis orandis præcipuum aut certe  
 proximum post M. Tullium locum ob-  
 tinebat, ad consulendum Q. Mutium (c)  
 de re amici venisse, cumq; respondentem sibi  
 de Iure parum intellexisset, audisse à Mutio;

**TURPE ESSE PATRITIO ROMANO IGNO-  
 RARE**

(a) In L. 2. §. 43. ff. d. O. I. (b) *Servius* hic *Sulpitius* ille est ad  
 quem Cicero L. 4. Fam. scribit. Eiusdem duas elegantes Epistolas  
 ad Ciceronem. v. ib. l. 4. Ep. 5. & 12. & in Bruto, Cicero eum ante-  
 fert ipsi *Scævola*. Meminit ejus & *Agell.* L. 2. Noct. Att. cap. 10.  
**CLXXX.** libros de Iure edidisse, autor est mihi *Drexel.* *Aurifod.*  
 part. 1. c. 7. p. m. 55. (c) hic est ille Q. Mutius quem in animi  
 remissionem optime pila lusisse, atveq; item & calculis vacasse *Val.*  
*Max.* tradit. l. 8. c. 8. § 2. l.



RARE IUS IN QUO QUOTIDIE VERSARETUR. Sed quorsum  
 hæc? Nimirum ut ille non decorum arbitrabatur No-  
 bilem Romanum, senatoria familia ortum, nescire Quiri-  
 tium statuta; Causas perennes in foro orantem, non in-  
 telligere ius de quo litigetur, & qui consultoribus patere  
 debuerat, alios consulere; Ita nec puto eum Germanum  
 esse, qui nesciat originem moresque suæ gentis, indignum  
 cenfeo Teutonico nomine, qui Teutonum antiquitates  
 ignorat, patriæ suæ abortum dico, qui hostili plusquam  
 odio, majores suos barbaros vocat, non veritus ignomi-  
 nioso dictorio, sanctos parentum manes laceffere; Scythæ  
 olim Dario per Legatos interroganti, quando finem fu-  
 giendi, & initium pugnandi facturi essent responde-  
 runt, si ad parentum sepulcra pervenisset, visurum  
 quomodo Scythæ pugnare soleant (d). Quis docuit  
 illos plaustris vagos & silvarum latebris corpora sua te-  
 gentes tam plenam pietate responsionem? Quis illi ab  
 omnium commercio remotæ genti tales affectuum stimu-  
 los inspiravit? Quis docuit ita fortiter & sancte Darii ca-  
 lumniam repellere? Certe nihil aliud quam Germanici  
 sanguinis rivuli, quam & usque ad extremum septentrio-  
 nem Germaniæ nomen se extenderit. Ab hoc tum maxime  
 fero populo tam polita recepit verba Persarum Monar-  
 cha, & nostri hodierni Germani, qui tamen maxime hu-  
 manitatis gloriam sibi propriam putant, non majori re-  
 verentia avorum busta prosequuntur. Nempe ut ille ap.  
 Claudianum (a). *Veronensis senex* (f).

Pro-

d) *Val. Max. l. 5. c. 4. §. 5. E. c.* e) *Epigr. 29.* f) *Quem nunquam  
 terminos agelli sui aggressum sed in eadem domo, natum, educatum,  
 senuisse, Tribidem mori voluisse Poeta laudat. Id cum legerem, in-*

*Proxima cui nigris Verona remotior Indis,  
Benacunq; putat litora rubra lacum.*

Ita hi si quid fando de Germanis sinistrum audiverunt, aut potius per transfennam in aliquo Autore oblique notarunt, illud statim arripiunt, pro Junone Nubem, omnia in majus & pejus tollunt, & innocentissimos Majores suos barbariei penitus damnant, iniquiores certe Romanis, illi n. parentes, hostes hi suos ignominia afficiunt.

A 2

Ignatius

quit Barth. ad h. l. sub extrema huic similem vixisse puto Celeb. Occidentis Doctorem Bedam. Is n. longissimū vitæ spacium in illis monasteriis exegisse, quæ supra quinque milliaria anglicæ dimensionis non distiterint invicem, & ad eam pervenisse legendo, scribendo, studendo, ætatem ut inter longevos numerari possit. Nec dispar historiola est apud Addeum Mytilenæum Poëtam Nautæ, qui in unâ naviculâ suam omne tempus insumserat, insuper ejus materiâ exustus, L. III. Anthologie: Et ob hoc Apollo Delphicus Aglaum Sophidium Arcadem fortunatissimum predicavit. Ita enim Val. Max. L. 7. c. 1. §. 2. Cum Gyges Lydiæ regno armis & divitiis abundantissimo inflatus Apollinem Pythium sciscitatū venisset, an aliquis mortalium se esset felicior? Deus ex abdito sacrarii voce missa, AGLAUM SOPHIDIUM ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus ætate jam senior, sed terminos agelli sui nunquam excesserat, parvuli ruris fructibus contentus &c. Ita Vatia prætorius dives nullâ aliâ re, quam otio notus, in villâ consenuit, & ob hoc felix habebatur, licet non approbaret hoc Seneca Philosophus, sed quotiens præteriret diceret; Vatia hic situs est, ut ipse memorat. Ep. 55. solenne enim semper fuit hominibus benemeritis & jam rude donatis, secedere in prædia & agellos, quod nec Maximo Bongarsio displicuisse video, ita scribenti Ep. 42. Aula me ut spero non tenebit, ætas namque & fracta valetudo secessum suadent & latebras, de loco nondum constitui. Scilicet ANIMÆ SAPIENTIORES FIUNT QUIESCENDO.

Ignavum vero ultionis genus in illo præsertim Martio populo, & qui belli gloriam sibi propriam putabat, æquus facturus si semper imperii hostes appellasset (g), neque n. hanc appellationem refugimus, ut quæ ad gloriam nostram pertinet, neque diffitemur omnibus contra Rom. auxilia submisisse (h), imo tanta erat odii adversus Quirites constantia, ut & literas quod eæ à Rom. plurimum exercerentur averfati fuerimus. Memoria n. proditum est Gothos voluisse aliquando literas ac literatos omnes, veterumque monumenta à stirpe convellere, acerbe namque ferebant, Græcorum & Latinorum Bibliothecas, & parietes rerum à se gestarum magnitudine repleti, reliquis populis omnibus tametsi res quoque magnas & memorabiles gessissent vel turpiter omiffis, vel m. atroci verborum contumelia notatis (i) Nec est quod miremur eos qui ex Rom. animum ad historiam applicuere patriis rebus contentos externa neglectui habuisse, quia victricis populi gesta componentibus, *neque majestas rerum deerat, & plus allatura utilitatis videbatur in eadem Rep. degentibus.* Quorum studium ut laude dignissimum arbitror, ita & extra reprehensionem fore confido, si externis neglectis ex Germanorum uberrimis pratis flosculos legam, & cum iis qui hujus Laboris participes esse dignati sunt, quæ Majoribus nostris vel regnandi artes, vel militiae laus, vel domesticae disciplinae notitia fuerit VOBIS ostendam, vel hoc ipso attentionem impetraturus, quod Germanorum candidam & simplicem Virtutem oculis subiicere cupiam.

Unde

(g) L. 24. de Captiv. (h) Elias Sched. de Dis Germ. syngr. 1. c. 1. sub-  
miserunt auxilia Mithridati & gladiatoribus in ipso gremio Ita-  
lie. (i) Lans pro Germ. p. 93. (k) Horat L. 1. Serm. Sermon. 1.  
*adeo sunt multa loquacem Delassare queant Fabium.*

Unde ergo mihi initium in late patentissimâ rerum Germanicarum segete: certe si loquaces illos *Fabios* (k), qui totum diem dicendo continuare pro levi habebant, imitari vellem nullus hodie finis & mihi garriendi, & V. Aud. auscultandi futurus esset. Equidem ut materiæ gravitas disertio-rem requirit, ita quod plerique faciunt in re capitali nugari nolo. Dixi jam quo mea & successorum collimet oratio, dabo nunc explicatius **PRISCORUM GERMANORUM REGIMEN** Sapientius institutum & dispositum fuisse, quam forte scioli quidam autumant.

Cujus rei certe non mediocre documentum est unius imperio rectos fuisse. Dicebat olim ille felix Orbis Terrarum prædo, Nec mundum duobus solibus regi, nec duo summa pati posse imperia (l). Certe si non in eadem opinione non multum tamen aberranti fuere Majores nostri, qui singulis gentibus suos præficiiebant reges. sicuti n. multi & invicem distincti populi erant, ita & singuli sub proprii regii imperio vivebant, nec omnes eundem Dominum agnoscebant; sane eum qui pluribus imperitat quosdam eorum peregrinos habere necesse est, inter quos sæpe dissensiones & altercationes oriantur, quum ille qui populum, cujus genium mores ac disciplinam novit, inter quem natus, altus, & educatus est, cujus climata accuratius cognita habet, cujus indolem & inclinationem penitus perspexit, regit, omni mali vel suspicione careat, quia uni populo, unus demum populariter imperitare potest. Quemadmodum illum non hominem dicimus d. monstrum qui pluribus capitibus unicorpor (ut suspecto verbo utar)

A 3

utar)

(1) Curt. L. 4. c. XI. *quam Ottomanici imperii custos regula fratrum nece constantissime servatur.*

utar) nascitur, justiore misericordiâ erga illos foetus ducti qui omnia membra geminarunt unâ tantum parte manca. Ita & illa resp. quæ uni capiti subest longe feliciore siderum influxu regitur, ac ea qua vel plurimum vel omnium libidini paret. Amator talis imperii DEUS, qui & Adamo vix creato MERUM in omnes Creaturas IMPERIUM (m) concessit, & populum suum non aliter rexit nisi malimus illam regiminis speciem (n) cum Josepho *Θιονομαχίας* appellare (o). Servientes tali fastigio omnes pene gentes, quorum regimen principio apud Reges fuisse Trogus & Cicero nos docent, tantumque ejus amor radices in pectoribus hominum egit, ut & Cappadoces (q) oblatae olim sibi à Romanis libertatem noluerint accipere, se sine rege vivere non posse caussantes quorum factum nolim cum prudentissimo Zevecotio (r) stupiditati eorum ac servili ingenio tribuere, sed potius ad curato judicio, quod nossent nullum pulcrius munus Deorum quam castum & sanctum, & Diis similitum principem (s), quorsum etiam collimat Claudianus (t) prægloriosissimus poëta, dicens

Fallitur egregio quisquis sub principe credit

Servitium, nusquam libertas gratior extat

Quam sub rege pio.

Frustra vero hanc felicitatem sibi persuasissent Germani, nisi in constituendo rege maturum adhibuissent judicium.

Non minor est virtus quam quærere parta tueri, non satis est regio imperio regi, nisi id electione

(m) *Gen. 1, v. 26.* (n) *Sam. 1. c. 7. v. 7.* (o) *Thys. Memorab. Vet. Rerump. c. 1.* (p) *Iust. L. 1.* (q) *Iust. 38. 2.* (r) *Obs. ad Flor. pref.* (s) *Plin. Paneg. c. 1.* (t) *L. 3. d. Laud. Str.*

quoque conferas. Generari n. & nasci à principibus fortuitum est, nec ultra aestimatur, sua quemque virtus throno admoveat, iudicium in eligendo integrum consensu quoque monstratur. Nec populum propter principem novimus, sed principem propter populum. Consequens ergo est, imperaturum omnibus eligendum ex omnibus. Ita superioribus annis Carolum nobis feliciter praefecimus, Poloni sibi Stephanum & olim rustica stirpe egregium Piastrum, Bohemi Pribislaum ita adepti, & maiores nostri Ariovistum Maroboduum, & alios egregios reges non nisi electione nacti sunt, qui libertatem suae gentis ob id enixius tuebantur, quod nulla ipsis de successione Liberos relicta spes, nulla nisi virtutis in emergendo fiducia reliqua, quam qui nobilitati generis junxisset aditum iam sibi ad regnum paraverat; Quotiens enim nobile illud Marobodui & Tudri genus Quadorum & Marcomannorum sceptrum tenuit? (u) Quotiens ex Agilolfingorum familia Bavaria sibi reges delegit? (vv) Scilicet reges ex nobilitate sumebant, (x) iam quae nobiliores familiae quam quae maiores suos in throno conspexerant, nec aliunde tanto fastigio pares peti poterant, quam ex iis quos Longa Majorum series & ab

Abavis

(u) Tac. Germ. c. 42. (vv) Boëm l. 3. c. 17. Bavari regem suum Cacannum nominabant, qui semper ex unâ illustri Agilolfingorum familia eligebatur. x) Tac. c. 7. y) Cluv. Epit. l. 8. c. 6. Flavius Vespasianus Metium Pomposianum, quod vulgo videretur genesim imperatoriam habere, consulem fecit, spondens aliquando memorem beneficii futurum. z) Cluv. l. 8. c. 6. Non dissimulabat Salvius Otho, nisi principem stare se non posse: nihilque referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.

Abavis non devians generositas, cæteris eminere facit. Sunt certe quandoque in rep. qui cum Themistocle & Metio Pomposiano (y) genesin imperatoriam habent, quos regum oportuit esse filios, ut Justus Jonas junior de se dicebat, qui cum Salvio Othone nisi Principes stare non possunt, (z) nec alio quàm in amplissimam sortem sibi nati videntur; hos si non elevas, sed muneribus adhibeas, clavo admoveas, throno imponas & patriæ usu clarorum virorum subvenias, & generosos spiritus ales. Trahitur dein generosa mens ex paterno semine & longa posterorum serie ad minores usq; derivatur. Plebeia & humili sorte ortos haud facile magnam fortunam capere novimus, *multi imperio digni habiti essent, nisi imperassent*; Perpetua meliorum invidia tum eos quos neque genere neque animo sibi pares agnoscunt, præferri sibi lippis aspiciunt oculis. Sicuti ergo multum interest, quo arbore sit natus furculus, nec boves bellis adhibere solemus, si mali corvi malum ovum, si ex Domitio & Agrippinà, nil nisi detestabile nasci potuit (aa), si sedulo Hadrianus Imperator cavet, ne ex Sabina uxore quidquam ad humani generis perniciem procrearet, si fortes fortibus creantur, nec aquilæ cum columbis miscentur, si in Austriacâ domo nullum unquam tyrannum fuisse Kirchnerus reverenti calamo asserit, certe & in regimine respiciendum erit, qualibus quisque parentibus ortus. Magnum incentivum ad bene agendum Majorum non fumosæ imagines, sed constanti duratione ad seros usque nepo-

(aa) Cluv. L. 8. c. 4. Domitius Neronis pater inter gratulationes amicorum & propinquorum negavit, quicquam ex se & Anna, nisi detestabile, maloque publico nasci potuisse.



nepotes transmissa virtus, & verisimile est meliores esse qui sunt ex melioribus; Sapiientissime, ut solent qui inter Majores suos Theutiscos referunt, Theodoricus Rex(bb), Providentiæ nostræ ratio est, ex parentum Virtute prolis judicare successum, Quia bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt, & origo nescit deficere, quæ consuevit radicitus pullulare, Fertur enim cursu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, ut sapor qui concessus est origini, nisi per accidens forte fuerit vitiatum, nesciat rivulis abnegari.

Quid ergo deerit homini nobili & iis quæ proavi & quæ ipse fecerit claro, quo minus Dominium ap. Teutones promereatur, præsertim si fuerit indigena. Religiose enim illa antiquæ simplicitatis servantissima gens cavebat, ne forte externus quis in imperium irreperet; Nolebant libertatem alienæ genti prostituere & recte; Nulla enim gravior Servitus, quam quæ ab externo imminet. Suis quique parent placidius, etiam si is præest, qui magis timeri potest. Alienum imperium nemo pati vult. Ut inquam domum Vespillones veniunt, signum est funeris, sic reip. labentis ad quam fulciendam adhibentur peregrini(cc). Nempe ad consilium de rep. caput est nosse remp.(dd). At quomodo ille qui sub alieno & sæpe inimico cælo nascitur nosse poterit genium eius reip. cui adhibetur gubernandæ. Recte ergo olim Poloni Tartarorum, Chami se offerentis imperium rejecerunt, licet ipse illorum causa, quamlibet vel religionem, vel Deorum cultum suscipere vellet, & ipsorum Lutherum suum Lutherum

(bb) Cassiodor. L.2. Var. Ep. 15. (cc) Lips. III. Pol. c.4. not.  
 (dd.) Bernegg. 9. 159. 160.

therum, ipsorum Papam suum Papam futurum sponderet. Recte & nuper reiectis Mosco, Condæo, Neoburgico, Lotharingo & aliis æmulis indigenam sibi delegit idem populus. Recte & legibus nostri Imperii provisum est; ne quis exterus & non Germanus in imperatorem eligatur: (ee) Familiarem quisq; auram à primâ nativitate trahit, quam licet per plures annos sub peregrino cœlo moratus fuerit, non deponet: Nosse climata præcipuum est in regnante, ne quod uni convenit regioni omnibus æquè convenire existimet qui regno præficitur (ff). Nec omittendum per peregrinos principes, peregrinos quoque mores introduci. Certè si à Chaldæis inter omnia interituri Persarum regni habitum est, vagina Persicæ in Græcæ formam mutatio (gg); si Macedones male interpretati fuerunt, Alexandrum à Victoris in Devicti transire insignia; (hh) Si capitis tegumentum imperii Græcorum declinationem ostendit (ii), multo magis regiminis ruinam portendat, externus Princeps accersitus. Manifestum n. est principum disciplinam capere quoque vulgus. Illius enim

(ee) *Lans. pro Germ. p. 119.* (ff) *P. Firmiani Gyges Gallus Hirudinibus. p. 41.* (gg) *Curt. l. 3. c. 3.* (hh) *Id. l. 6. c. 6.* (ii) *Gregoras l. 2. fin. alleg. Frainsh Not. ad Curt. l. 3. c. 3. ita; De capitis tegumento apud superiores imperatores mos erat, ut etate provectiores aulici proceres pileis turbinatis uterentur, serico tectis pro dignitate cujusq; adolescentes vero omnes prorsus nudis essent capitibus. Illo vero Imperatore (Andronico Ducâ,) is mos usque adeo obsolevit, ut omnes simul & adolescentes & senes pileis uterentur, non minus in palatio quam in agris, iisque multiformibus, & peregrinis, & quales cuiq; probabantur; alii Latinis; alii Mysiis & Triballicis, alii Syriis & Pheniciis, suo quisque arbitrato. Eodem more in vestibus etiam usi sunt ut prudentiores novitatem aliquam & destructionem imperii, & finem institua-*

nim vita censura est eaque perpetua, ad quam dirigimur, ad quam convertimur, (kk) Magnetica quaedam in imperante Virtus est, eorum quibus imperatur oculos pariter & mentem in se convertendi defigendi que, hinc quo ille vel enititur vel delabitur, eo etiam hi trahuntur, ad unius exemplum & pene nutum sive in præcipitium socordia proni, sive in arduum virtutis erecti (ll). Sicut taurum armenta, arietem greges sequuntur, ut ducis volatu Grues Literam (mm) figurunt, ita omnes qui parent eo quo princeps contendunt. Et tanta vis est ejus sequelæ, ut traditum sit, Alexandri concitatioem gradum, depressiorem in lævum collum, vibrantem obtutum & elatiorem vocem, non solum aulicos, sed & successores imitatos (nn), velut hoc modo aliquam Alexandrinarum virtutum sibi adoptarent. Bona sane sequela, si & ipse princeps bonus sit, si is qui imaginem Dei gubernat, imaginem quoque Dei ipse repræsentet, habebit subditos sibi simillimos præsertim si in ipsos absolutam potestatem exercent, quæ refractarios coërcere, & ad bonam frugem redigere possit; Germani quidem nostri unum habebant qui imperitabat nullis exceptionibus. Res obscura ipsum liberrime liberrimo populo imperitasse, sed qui noverit Germanos animos, & amantes regum subditos, & subditorum reges amantes

B 2

fuisse,

*torum ac morum illis divinarent. (kk) Plin. Paneg. c. 45. 46.  
(ll) Arnold. Geulinx. Saturnal. quest. 3. (mm) Claud. de bell. Gildon.*

*Pendula ceu parvis motura bella colonis  
Ingenti clamore grues, æstivâ relinquent  
Thracia cum tepido permutant Strymona Nilo,  
Ordinibus variis per nubila textur alis  
LITERA, pennarumque notis inscribitur aer.*

fuisse, non miretur. Modestia tanta principibus, ut cum ipsis liberrima & summa tradita esset potestas, eam tamen ita uterentur, ut tantum in minimis arbitrium sibi sumerent, majora ad populum referrent, cum ipsi ut vivae leges merito soluti legibus existerent(oo), legibus se tamen subjicerent; Digna enim vox est Majestate regnantis, legibus se alligatum principem profiteri, adeo de autoritate juris ejus pendet autoritas, & revera imperio majus est, submittere legibus principatum (pp).

Nec minor subditorum erga principem reverentia, qui liberrimo ad veteri dominatui non tamen negligebant ea, quae principi & legalis & divina pagina tribuit, & naturalis quoque aequitas concedit; Dabant principibus non tributa sed munera, nec ea praefectorum sevitia in immensum augebantur, aut paulo locupletiorum census invidiose notabantur, sed quod quisque in bonis habebat, principi dabat; Bovum armentorumque greges, nonnunquam & fruges principi à civitatibus viri-  
tim & ultro offerebantur, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subveniebat (qq). Scilicet principes reveremur & amamus, si & ipsi nos amant, si ex dignitatis eminentia supra calamitates positi misereantur tamen, illaque consilia respuant, quae si audiantur, reges aut turpiter avaros, aut effuse prodigos, audacesque & tandem inhumanos efficiunt (rr).

Videre mihi videor Auditores Regem Germanum per liberrima suffragia electum ex nobili genere, collocatum in plenissimam potestatem, sed leges tamen & majorum

(nn) *Supplem. Curt. L. 1. c. 2.* (oo) *L. 31. ff. d. il. Nov. 105. c. 2. §. 4.*  
(pp.) *Theodos. in L. 4. C. d. 4. add. L. 3. C. d. Testam. & l. 23. ff. d. Leg. III.* (qq) *Tac. c. 15.* (rr) *P. Firmian. Gyg. Gall. Hirud. p. 43.*

rum placita constantissimè servantem, deducam nunc in concilium ostendamque quam prudenti ratione pacis bel- liq; consiliis legibusq; condendis omnes adhibuerit, quip- pe quod perquam-æquum est, eos quibus executio man- datur & qui periculorum participes sunt in consilium quoq; trahi, & sibi princeps consulit, si mali eventus cul- pam à se in Consiliarios declinare possit; Ut convene- rant ergo illi vel armati, vel ut potu incaluerant, aut tur- bæ placuerat, Rex aut Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas prout decus bellorum, prout facundia (ss), au- diebantur, auctoritate svadendi magis quam jubendi pote- state. Si displicuerat sententia, fremitu aspernabantur, sin placuerat frameas concutiebant, honoratissimum assen- sus genus erat armis laudari.

Sed expectatis forsan Aud. quosnam consiliorum hiorum effectus producturus sim? brevi habebitis. Col- latis ita suffragiis ubi quisque quo Major ætate eo attentius audiebatur, concludebant, quod vel publice vel privatim utile futurum erat, pacem aut bellum statuebant, nobiles adolescentis civitate & armis donabant (tt), sanctiones condebant, & crimina coercebant, quæ ut varia erant, ita & variis ac diversis pœnis profligebantur; liberorum (uu)

B 3

quidem

(ss) *Elegantissimum Germanicæ facundie specimèn illa præ- bet oratio rustici ad S. P. Q. R. apud Guevaram citante Erasmo Francisci in der lustigen Schaub. cövent. 3. p. 461. seqq. (tt) Tac. c. 13. Arma sumere non cuiquam moris quam civitas suffe- cturum probasset, tunc in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquus, scuto frameaque Juvenem ornant, hæc toga hic primus juventæ honos, ante domus videbatur pars mox Reipublicæ. (uu) Justin. Nov. 153. pref. vocat. cri- men à sensu humano alienum, & quod ne ab ullis quidem*

rum  
en  
me-  
ges  
ub-  
gi-  
tate  
est,  
tia,  
ant  
na-  
non  
sum  
tur,  
nto-  
iri-  
ces-  
ur &  
ntia  
nsi-  
ros,  
ef.  
num  
llo-  
ajo-  
rum  
p. 4.  
23. ff.  
p. 43.

quidem numerum minuere flagitium (vv vv) putabatur. Ignavi imbelles & torpore infames palude injecta insuper crate mergebantur. Levioribus quoque delictis pro modo poena; Equorum pecorumque numero convicti multabantur, pars multæ regi aut civitati, pars ipsi qui vindicabatur aut propinquis ejus exolvebatur, poenarum cura sacerdotibus commissa, neque n. ulli verberare aut animadvertere, nisi illis permissum ut ita non quasi ad poenas, aut ducis jussu sed DEO velut imperante coërce-  
rent (xx). Magna quoq; ap. illos bonorum communio cum magis animorum esset (zz). Hinc quod necessarium puta-

batur,  
barbaris admitti credibile est. *Ælian. l. 2. V. H. c. 7. Lex. est Thebis ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abiicere, capitis supplicio constituto; Verum si extremam mendicitate pater laboret, sive mas sit, sive femina infans, jubet lex eum statim ad materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis afferre, qui acceptum alicui tradit levi pretio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, bona fide infantem alat, & adultum servi vel servæ loco habeat, sic ut pro educationis mercede operas eius accipiat.*  
(vv vv) *Flagitium notanter adjectum à Tacito, veluti olim à Rom. Legi Valeria. Si quis contra fecisset, improbe factum, Liv. L. 10. Visum, inquit, id, (qui tum pudor hominum erat) vinculum satis validum legis, Nunc vix servo ita minetur quisquam.*  
(xx) *Tac. c. 12. (yy) Honorificum illis populis carnificis munus & ad continendam religionem plebem efficacissimum, reliquias ejus ritus in quadam imperii urbe, pago Franconia Orientalis, & Moravia vigere dudum notarunt Lans. c. Germ. p. 902. 903. Camerar. subces. c. 76. de Anglis idem refert Bodin. de rep. L. 3. c. 8. & Balduinum Flandria Comitem ipsum hoc munus subisse narrat Lips. Mon. Pol. l. 2. c. 10. Mon. 1. §. 1. (zz) Thys. memorab. vet. R. rep. c. 9.*  
(a) *Tac. c. 12. Amyntas ap. Curt. L. 7. c. 1. ad Alex. An non propemodum in Tua verba, Tui omnes Te praeunte juravimus*

batur, *amores & odia propinquorum suscipere* (a), quod nullis fideicommissi & legatis filiorum hereditates patres gravarent; Heredes cuique liberi & nullum testamentum. Si liberi non erant, proximus gradus in possessione fratres & quicumque dein contingebant propius (aa).

Sed cum & aliquod Virtuti pretium debeatur, & iniquum sit eum honore indignum videri, qui jam fortibus factis maturus fuisset; quare (b)

Mos erat in veterum castris, ut tempora quereu  
Velaret, validis fuso qui viribus hoste  
Casurum potuit morti subducere Civem.

Et Græci tot honorum genera commenti, tot oleaginas, quercinas, & nescio quas nō coronas repererūt, quo virtuti par redderent. Sed ut fortitudo eorū tantū umbratilis erat, sic & redhostimenta umbram tantum non verum præmiū repræsentabant. Alia Germanorum ratio; Illis non in ramis oleæ aut quercus virtus defatigabatur, sed cum majora reliquis patrarent gentibus, ampliora quoque sibi retribui postulabant. *Exigunt, inquit Tacitus (c), principis sui Liberalitate, illum bellatorem equum, illum cruentam vidtricemq; frameam, & quanquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt*, **MATERIA MUNIFICENTIAE PER BELLA ET RAPTUS**; quid hæc verba sibi velint nisi **FEUDA** nostrum inventum esse? Frustra ea Romanis aut Babiloniis tribuit Niellius (d) Frustra Connanus, & Molinaeus suis vendicant Gallis; Frustra quidam Carolo demum magno adscribunt (e); Antiquiorem originem & quidem Germanam agno-

eosdem nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu haberes. (aa) *Tac. c. 20.* (b) *Claud. L. 3. d. Laudd. Styl.* (c) *c. 14* (d) *Disputat. Fend. 1. th. 1.* (e) *Berneg. 9. 75.*

agnoscunt, quid enim aliud materia munificentia per bella & raptus, quam regem quæ ab externo acceperat populo Vasallis distribuere (f). Accedit quod homagium illud quod à Vasallis exigitur, & Germani præstabant, quorum PRAECIPUUM SACRAMENTUM PRINCIPEM DEFENDERE ET TUERI, nec alia gens præter nostrum est quæ feuda observat, soli Germanorum historici meminere, Germanicæ tantum linguæ feudorum formulæ aptari possunt; Longobardis demus feuda ipsos in Italiam intulisse, proprium sane eorum commentum non fuit, sed ex patriâ quæ Germania attulerunt; Recte ergo illud

Depositum cæsi quod jure Batavia mater  
Horret, & haud credit se peperisse sibi

Hugo Grotius (g) ait; *Gothi, Vandali, Hunni, Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, Nationes omnes Germanicæ, qui partes opimas imperii R. occuparunt, suas singuli leges & mores de feudis non minus ac Longobardi habuerunt. Et quemadmodum falluntur, qui (h) Crucis signum non ante humani generis redemptionem in usu fuisse putant. Sicuti*

er-

(f) *Struv. Syntagm. Feud. c.1. q.3. observavit simile quid in Japoniâ. Cum enim bellis perpetuis in eâ insula, principes inter se contendant, antiquo ibidem more quod quisq. bello obtinet continuo dividit inter suos duces & alios quos diligit, cum onere serviendi sibi in bello, & alia præstandi mutatq. Dominus de uno loco in alium, auferendo ab eis qui possidebant, & aliis largiendo, nempe hoc est Germanico more materiam munificentia per bella & raptus querere, & ut aliis dent, aliis auferre. (g) de J. B. & P. l.2. c.7 n. 25. (h) P. Mexia. Sylv. var. quest. part.1. c.3. ostendit signum illud Arabibus & Egyptiis (qui & pectori Serapidis impresserunt) in summa veneratione fuisse, quem vide.*



errant, qui pileum in salutationis argumentum detrahere, nostrorum demum hominum inventum putant ( i ), ita & longe à regia veritatis via declinant, qui Longobardos tunc demum cum in Italiam venerint feuda commentos autumant, cum ea potius ex Germania secum attulerint. Nostra ergo Feuda sunt, & taceant Galli, ni audire velint quicquid ipsi unquam boni vel fortium Virorum habuerint, Germani originis & sanguinis fuisse.

Causa autem principibus quæ fuerit fortibus Viris feuda dare, opere pretium erit ut inquiramus. Illud maxime verisimile videtur, Principem cum semper domi & foris armatis stipatus ageret, præcipue vero in bello delectos ex omni juventute comites secum haberet, illis fortiter rem gerentibus feuda in præmia dedisse. Hoc supra jam ostensum, illud nemo melius Tacito (k) oculis subiiciet; Ita enim ille; *Hæc dignitas, hæc vires, magno semper electorum Iuvenum globo circumdari in pace decus in bello præsidium, cū enim in aciem ventum turpe principi virtute vinci, turpe comitatu virtutem Principis non adæquare. Iam vero infame ac probrosum in omnem vitam superstitem principi suo ex acie recessisse, illum defendere illum tueri, sua quoque fortia facta illius gloriæ assignare (l) præcipuum sacramentum; Principes pro victoria*

C pu-

(i) Plutarch. in probl. hinc derivat; quod *Æneas* Diomedæ prætereunte caput texerit, hinc hostibus tegi, amicis aperiri solere, quod potius videtur eo quod post subdit. Ut eos quos ita honoramus invidia liberemus, ne pares sibi cum divinis poscere honores videantur. Aliam affert Plin. l. 28. H. N. c. 6. Capita autem aperiri, inquit, respectu magistratum, non venerationis causâ iussere, sed ut Varro Autor est valetudinis, quo firmiora consuetudine ea fierent V. omnino. Petrum Messiam Sylv. Var. quest. part. 1. c. 15. f. (k) c. 13. 14. (l) Et hoc culpans Clytus



*pugnant Comites pro Principe.* Inde memoriae proditum est, cum Chonodomarius Alemannorū Rex ad Gallicam Rheni ripam una cum omnibus suis in deditioem Romanis venisset, ducentos ejus Comites flagitium arbitratos post regem vivere, tradidisse se vinciendos (m). Ita in prælio illo apud Ipsum circa curram Darii jacebant Nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis (n) Verum hoc Argumentum ulterius discutiendum ei relinquo, qui post me militiae curam geret, ego ad pacis officia revertor.

Quæ certe nec exilia erant, nec minori comitatu agebantur, Parmenio olim, cum audacius consilium Alexandro dedisset, idem se quoque exequi paratum addidit (o), recte Germani nostri, qui eos quorum præcipua potestas in condendis legibus erat, easdem exequi quoque jubebant; Rex s. Princeps, centum adjunctis Scabinis (quos merito Romanorum Juris studiosis (p) anteferas) ætate senili (q) & eo majore svadendi prudentia, per pagos jus dicebat, eo securior, quod tam venerandis capitibus

*ap. Curt. l. 8. c. 3. v. 29 retulit Euripidis Carmen, quo significabatur, male instituisse Græcos, quod Trophæis regum duntaxat nomina inscriberentur, alieno sanguine partem gloriam intercipi, in eandem sententiam Cornel. Nep. Thrasymb. c. 1. In prælii concursu abire res à consilio ad vires, vimq; pugnantium. Itaq; suo jure nonnulla ac imperatos miles, plurima vero fortuna vindicat, seque his plus potuisse, quam Ducis prudentiam vere potest predicare. (m) Amm. Marcell. l. 16. c. 33. (n) Curt. l. 3. c. XI. v. 9. (o) Curt. l. 2. c. 8. (p) Ita Assessores Præsidis appellantur in l. 1. ff. de off. Assess. (q) Unde & deducit Kirchmayer vocem nostram, Grave a Grau Canus, Comment in h. l.*

bus stipatus cuncta ageret; Cum enim plus moribus & æquitate quam legibus regerentur aquilonares illi populi, quis diuturnæ consuetudinis aptior testis, quam qui plurimum vivendo expleisset? quis de bono & æquo melius judicare poterat iis, qui annorum longâ serie exempti jam humanis rebus propiores Diis degebant, senum sc. proprium consulere, juvenum exequi. Ipsi olim varia obierant pericula, interfuerunt rebus gestis, adeoq; rectius ex præteritis de præsentibus sententiam ferre, & de futuris conjicere poterant.

Tam venerabile erat, quatuor præcedere lustris

Satis jam putabam me dixisse, sed in calce pene orationis succurrebat maximam in regnante, & si quid unquam **PROPRIAM GERMANORUM VIRTUTEM FIDEM** omisisse; Olim majores nostri Alexandro M. interroganti **QUIDNAM OMNIUM MAXIME TIME-RENT?** respondere. **NE COELUM RUAT** (r); jungamus legatorum Frisonum effatum, **NULLOS MORTALIUM ARMIS ET FIDE ANTE GERMANOS ESSE** (s), & quid ad plenitudinem Germanicæ virtutis dederit? Certe ut à levioribus ordiamur, in minimis quoque servata pacta, qui alea succubisset, vinciri se & venire quamvis validior, quamvis robustior, non abnuebat, fi-

C 2

dem

[r] *Suppl. Curt. l. 1, c. 12. Terent. Heavtontin. Act. 4. Sc. 3. idem proverbium habet. Quid si nunc redeo ad illos, qui dicunt, quid si cœlum ruat?* [s] *Tac. Ann. XIII. c. LIV. Legati Frisii, Verritus & Malorix, profecti Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quæ Barbaris ostentantur intravere Pompeji Theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic perotium [nequen. ludicris ignari oblectabantur] dum confessum arca, discrimina ordinum, quis eques, ubi sena-*



dem hoc postulare dictitans, (t) Reges Orientis pro arcano potentia suæ habent, non diutius servare cōventa, quam expediat; Germanis contrarium plane persuasum nec iuramentum interponebant, unum verbū juratoria cautione efficacius erat. Recte olim ad Alexandrum M. Abii Scythæ, omnium barbarorum, ipsis Græcis Scriptoribus attestantibus justissimi; *Iurejurando gratiam Scythas sancire ne credideris, colendo fidem jurant; Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos invocant, Nos religionem in ipsâ fide novimus; Qui non reverentur homines fallunt Deos* (u). Et quamvis scioli quidam dentur, qui dicant aquilonem ut sinistram mundi partem nil nisi execrandum producere posse (x). Nec non Nicephorus putet, Septentrionales illos & Hyperboreos populos non alia ratione à Deo tolerari, quam ut pro pœna iis adversus quos velit utatur, Nemo tamen inficias ibit, in fide servanda cunctis nationibus palmam præripuisse; Quapropter solis his prætoriiis Augustus usus usque ad Varianum cladem (y), his Tiberius, (z) his Caligula, his Claudius, qui & ob fidem sedem Legatis eorū in Orchestra permisit, (a) hi ultimi à Nerone recesserunt, hi soli in auxilium Galbæ advolarunt, Vitellio usque ad finem fideles manserunt,

*ius, percontantur, advertere quosdam cultu externo, in sedibus senatorum, & quinam forent, rogitates postquam audierunt, earum gentium legatis id honoris datum, quæ fide aut amicitia Romana præcellerent, NULLUM MORTALIUM ARMIS ET FIDE ANTE GERMANOS ESSE exclamant, degrediuntur & inter patres confidunt, quod comiter à visentibus acceptum quasi impetus antiqui & bona emulatio, Nero ambos Civitate Romana donavit. (t) Tac. Germ. c. 24. (u) Curt. l. 7. c. 8. (x) Lansf. C. Germ. p. 893. 894. (y) Sveton. Aug. c. 49. (z) Tac. Annal. l. c. 24. (a) vide omnino hæc & plura congerentem*

ferunt, Caracallam vindicarunt. Horum fide Aurelius Antoninus & Maximinus regnarunt. Nec ob aliam causam his corporis custodibus usus Herodes Judææ Rex, ut Josephus de eo prodidit. Utrumque decus ARMORUM ET FIDEI egregie conjunxit Johannes Barclajus (b); *His moribus ornatam Germaniam, inquit, suæ dotes & magnitudo virtutum absolvit, Ignota ibi perfidia etiam in venali fortitudine stipendia merentium; Ne ingenium quidem fraudis capax, aut odia sub amicitia titulis latent, & omnino ingentia scelera, verecunda populæ simplicitas ignorat: Candidi animi, virtutes aliorum, facta & inventa, maxime absentium non maligno ac tumido livore delibant, sed sinceris laudibus, ac propemodum immodicis tollunt. Alterum est Martium Germanorum decus. Nihil enim in Germanicâ gente magnificentius, quàm quod nomen summi Imperii Aquilamque sibi habet: tanquam Romam Germania vicerit, & provinciarum ultima quæ Italico jugo accessit, jam sit sola, in quâ nomen atq; reliquæ, fortunæ Romanæ acquirerint. Tanti nominis sancta majestas nulla sociozum principum emulatione corrumpitur, Regesque quanquam viribus sæpe majores, sponte Imperatorio culmini concedunt (c).*

Hactenus quicquid circa Germanorum Remp. admirandum occurrebat explicavimus, nunc videndum quid maligni quidam genii & carcinomata regerant, digni sane quorum quos ita laceffunt iram experiantur; Non omnes

C 3

sane

*Eliam Schedium de Dis Germ. Syngg. 1. c. 1. p. m. 19. (b) in Satyr. l. 4. (c) Interdum & coacte: Ita ante pedes suos sæpe prostratos Imperator, Bohemæ & Dania reges vidit, ita florentissima Ungaria & Gallie Regna Imperatorie Majestati postposita. Refert Nicolaus Höniger von der Türkischen Hofhaltung l. 2. c. 2. & confirmat Lans. pro Hungar. p. m. 480. in illa festivitate A. 1580 Maji die 28. judicio Sinanis Bassa, omnium primus locus Im-*

sane scriptores placide erga Germanos affecti. Vellejus eos, nihil humani præter membra vultusq; habere dicit, in omni feritate versutissimos natumq; mendacio genus. Florus (d) Senones (e) illos qui urbem occuparunt vocat, gentem natura ferocem, moribus inconditam, ab hoc ipsâ corporum mole, perinde armis ingentibus, atq; adeo omni genere terribilem, ut plane nata ad hominum interitum stragemq; urbium videatur. Horridos Germanorû foetus Horatius (f) meminit Francos Salvianus (g) Mendaces appellat, qui perjurium Genus Sermonis putent, non criminis. Saxones omnes Archipiratas vocat Sidonius, & multum fellis quoq; habet illud Joh. Bohemi (h) Epiphonema. Una Suevia inquit latæ Germaniæ satis meretricum transfundet, quemadmodum Franconia copiam dat raptorum & mendicantium, Boëmia hereticorum, Bavaria furum, Helvetia carnificum ac Lenonum, Saxonia petatorum, Frisia atque Vestofalia perjurorum Rhenus gulonum. Verum enim

vero,  
peratoris Romano-Germanici Legato Beinero datus est. (d) l. 1. c. 12. (e) Elias Sched. de DIS. Germ. Syngr. 1. c. 1. Senones hos Suevos appellat, Autoritate Taciti inductus qui de moribus Germ. c. 39. vetustissimos Suevorum Semnones memorat, nec minus Velleji, qui Senones Hermunduris conjunxit & juxta Albim collocavit. a Idem quod ultima illa terrarum ora, quam Florus memorat, & ignota Straboni Senonum regiones vix aliter quam de Oceano Germanico cinctis terris intelligi possit. Ridiculum certe est, quod Luddus Anglus quidam Brennum Beleni cujusdam fratrem & Berovani regis Britannorum filium facit, & ipsos Senones Anglos putet, v. pl. ib. (f) L. 4. Od. 5. (g) L. 4. de Gubernat. DEI (h) de moribus Gent. L. 3. c. 15. f. Id. ib. c. 13. Saxones immodestissima gens, c. 14. Vestophali vitiosi ac fallaces c. 15. Franci blasphemi & latrones. c. 16. Suevi scortatores. Nathan Chytræus in deliciis p. m. 631. singulis Nationibus suos affingit chara-

vero, ut facilius veniam dem Græcis aut Latinis scripto-  
ribus quos vel ignorantia vel affectuum impulsu peccasse  
constat, ita me pessime habet, Germanum ipsum de Gen-  
tilibus suis tam male judicare. Et quid impedit, ut in  
Clariss. Lansii (i) sententiam descendam & dicam, *Iohan-*  
*nem Boëmum, ipsum Germanum de Germanis tam inscite scepe tri-*  
*cari, ut eum nugæ condere, non mores gentis narrare voluisse quis*  
*putare possit. Interim missis his videamus quid circa Remp.*  
*à quibusdam objiciatur.*

Ac primum quidem Germanos tantum non solū à liber-  
tate, sed etiam à servitute degenerasse Tacitus (k) scribit ut  
fœminino regerentur imperio (l). Fatemur sane Majo-  
res nostros mulierum responsa pene ac oracula observaf-  
se, inesse eis quidquam divinum credidisse, coluisse quo-  
que

*Eteres, Francos dicit simplices rusticos ac vehementes, Bavaros*  
*Luxoriosos ac procaces, Suevos Leves, Loqaaces, Thuringos dif-*  
*identes contitiosos, Saxones dissimulatores, versutos, contumaces,*  
*Helvetios asperos, Belgas delicatos & teneros. Bohemos denique*  
*inhumanos, Novatores Latrones appellat. Et paulò post p. 633.*  
*instituta generali Germanorum cum aliis gentibus collatione ita*  
*pronunciat; Germani vultu effrenes. Sermone austeri, Habitu*  
*dissoluti, victu inconditi, Comessionibus intolerabiles, erga ex-*  
*teros agrestes in amoribus ambitiosi, in bello truces, subdit de-*  
*inde illos notissimos versus;*

Miles Australis,  
Syeveica Monialis  
Prutenorum religio  
Non valent uno obolo.

*Salvian. Massiliens. l. 4. de Gubernat. DEI, Gens Saxonum fe-*  
*ra, Francorum infidelis Gepidarum inhumana, Hunnorum*  
*impudica reprehenditur ebrietas Alemanno &c. (i) pro*  
*Germ. p. 60.*



que quandam Auriniam & Velledam divino cultu (m) cuius rei rationem non facile reperimus, nisi dicere velimus præter immensum illum amorem, quo gens ista conjuges suos prosequeretur, multum adjuvisse, quod uxores quasdam acies labentes, objectu pectorum & precum obstinatione restaurarint, & licet distincta sint foeminarum & Virorum officia, (n) nollem tamen eas sceptro prorsus privare quum & Exempla supersint earum quæ bene præfuerunt, & quis omnia notavit? Non hic mihi memorabitur Elisabetha Anglica, quæ specie virtutis multis imposuit, veræ sui sexus virtutis, id est, pudicitia, penitus expers, Adeo ut Henricus IV. Gallorum Rex, inter ea, quæ ab omnibus præterquam se crederentur retulerit, Elisabetham Angliæ Reginam esse Virginem. Non accersam ab ultimo seculo Semiramini equi concubitu infamem. Nec est quod recentia miremur, Illa Christina Sveciæ Regina, quam adulate

maxi-

(k) de mor. Germ. c. 45. (l) de Gynecocratiâ & muliebri imperio evolvi possunt. Schönborn. Pol. l. 2. c. 12. Erasmi Francisci lustige Schaubühne conventu V. p. m. 889. Justus Lipsius Mon. Pol. l. 2. c. 2. & Politices l. 2. c. 3. Bernegg. qu. 165. & 192. Speciatim de lege Salica, quod lilia non nent. legi potest Lansf. pro Gall. p. 192. 193. de Belgarum erga mulieres obsequio, Erasmi Francisci lustige Schaub. convent. 6. p. m. 999. adde quoque quod notat Pontan. bellar. Att. part. 3. Syntagm. 2. n. 45. Uxores quæ viris imperabant Romanis Tanaquiles dictas. (m) Tac. de Mor. Ger. c. 8. (n) Festivum hujus distinctionis Exemplum affert Olaus Magnus Episcopus Upsaliensis, in Gentium Septentrionalium historia l. 13. c. 8. de foeminis Sveonum, quæ solenni tempore quo caseos conficiunt, neminem virorum operi interesse patiuntur; Postquam enim bonitatem casei istius & modum conficiendi descripserat, subdit; Nec vir quispiam huic operi foeminarum interesse meretur, etiam si precibus hoc impetrare conetur. Habent enim for-





maxime genio Octavius Ferrarius ( o ) Vir alias supra se-  
culum doctus , *Svecicam Palladem , Musarum decimam ,*  
*regnantium primam , Gustavi Sobolem , Patriæ Senatam , Castro-*  
*rum Matrem , literarum ac disciplinarum certissimam salutem*  
appellat , quam inops veræ laudis fuit ? Ostendit Forstne-  
rus , majore veritatis suffragio adjutus , brevi illum erga  
literas amorem decoxisse , virosque doctos ambitiose ex-  
citos in patriam remississe , eorumque in locum citharistarum  
vestiariorum , cinifionum inertissimam gentem immisisse ,  
præterea tonsoribus purpuram injecisse , imparem se de-  
nique regno sentientem , illud magis abjecisse , quam de-  
posuisse . Ut adeo si his uti vellem in exemplum boni & fe-  
licis muliebris imperij ad anticyras mihi eundem , ellebo-  
roque caput bene purgandum esset , Opus est hic Isabellâ  
Hispanica , Margaretha Danica , Phile Græcâ , Zenobia ,  
Palmyrena , Pulcheria Imperatoriâ familiâ ortâ , Lybussa  
Bohema , Venda Polonâ . Hæ sunt quæ adduci possent ,  
in exemplum defensionem muliebris imperii , si illud un-  
quam defendere animo sedisset , quid enim hæc univer-  
sim Germanis irrogari ignominia potest , quam populus  
unus ( p ) & forte non sine causa in se suscepit .

D

Nec

tissimæ illæ mulieres divisa exercitia domestica seorsim à Ma-  
ritis , in quibus illi sese nunquam intromittunt , ut nere , texe-  
re , panes & cerevisiam coquere , cibos parare , & proles orna-  
re ac vestire , lectosque & tegmina aptare , & agnellis , vitulis ,  
aliisque minutis animalibus providere , ubi viris graviores in-  
cumbunt labores , ut agros colere , messes triturare , eqvos do-  
mare , [ quod & foeminae plerumque faciunt , ] arma acuere , atque  
agros disponere . [ o ] *sine Panegyrici in laudem ejus conscripti .*  
[ p ] *Sitones , ita enim Tacitus l. f. c. Suionibus Sitonum gentes*  
continuantur , cætera similes uno differunt quod foemina do-

Nec has cum Heliogabalo (q) in consilia nostra deducamus (r) viris ea, & quidem armatis frequentabantur. Recte enim Germani quovis tempore propter quædam fortuita gladium gerebant (s), recto consiliis Sacerdotes adhibebant, ut ij qui rerum divinarum curam gerebant, providerent, ne quid contra religionem aut pietatem concluderetur, ne quid quod Deorum cultum læderet, in consultationem veniret; nec sua carebat ratione quod bene poti ad consilia procedebant, Gens enim non astuta nec callida, aperiebat secreta pectoris licentia loci, Ergo detecta & nuda omnium mens postero die retractabatur, salva utriusque temporis ratione, deliberabant enim dum fingere nescibant, constituebant, cum errare non poterant (t). Similis impetus in bello capeffendo, qui in consilio; Nunquam quieta pubes externam quoque sequebatur militiam. Memoriae proditum est, si civitas in qua

minatur. [q] Bernegg. qu. 44. Romæ senatū fœminarū quæ senatulum dixit, instituit in colle Quirinali, Semiamiramq; matrem contra instituta majorum, in ordinem Senatorium cooptari peravit, quod adeo indigne tulerunt Romani, ut illo sublato statuerint, ne de cætero ulli mulieri in senatum pateret aditus, & qui id offecerit ejus caput DIS inferis sacrum esset. [r] Notum certe est & affirmant Tac. Germ. c. 8. Plutarch. de virtut. Mul. c. 7. & nos jam supra concessimus, Consiliis adhibitas à Germanis mulieres, sed cum hic mos plerisque prudentioris displicuerit, nolumus gentis nostræ dedecora, quæ tamen facile dilui possent, allegare. (s) Georg Hilip Harsdörffer / part. 5. des lustigen Schauplatzes / c. 9. §. 7. Die alten Deutschen hatten ein Sprichwort: Man soll den Degen allzeit wegen einer gefährlichen Zeit tragen / selben aber nicht ohne wichtige Ursach ausziehen und ohne Ehre nicht wieder einstecken. (t) Tac. de Germ. c. 22. Plutarch. Sympos. l. 7. §. 9. 10. morem hunc in conviviiis consultandi & Græcis

orti essent, longà pace ac otio torperet, plerosque nobilium petiisse ultro eas nationes ubi tum bellum aliquod vigeat, ne unquam exercenda virtutis occasio deesset, scilicet aliquid supra vulgus quorundam ingeniis inerat, qui ignavum torporem pati non poterant, inter bella & armorum strepitus educati. Nec puto mercenariam militiam secutos quod nunc Helvetios (u)facere videmus, & modo Gallo, modo Hispano servire, prout cuique largiore aere manus tinniat, peculiare genti convicium objici solet, sed voluntarie quo major ostendendae virtutis spes vocabat contendisse. Quis vero hanc libertatem nobili publi deneget, praesertim qui bellicam indolem majorum nostrorum penitus introspectit. Sane hunc fortitudinis characterem, nemo praeter Tacitum culpabit, qui equidem & ipse eis perpetuitatem bellorum imprecatur, *Maneat quaeso, inquit, duretque gentibus istis si non amor Nostri, certe odium Sui, quando urgentibus imperii Romani fatis, nihil jam fortuna prestare majus potest, quam hostium discordiam (x).*

Est adhuc quod remoretur quo minus ad finem decurrat oratio AUD. Gallicà lingua Cimbro Latrones dici Sex. Pompejus memoriae prodidit, Vereor certe ne à quibusdam nimis haec appellatio Germanis aptetur, ut aliis dent, aliis auferer, materiamque munificentiae per bella & raptus quaerere, supra

D 2

audi-

*es Persis familiarem fuisse demonstrat. (u) non bene Helvetios tamen contra Helvetios duci apparet exemplo Sfortiae Mediolanensis Ducis; Hic spreto Maximiliani I. Caesaris consilio (qui Suevos conscriberet, suaserat) contra Ludovicum XII. Galliae regem duxerat Helvetios, hi cum ventum fuisset in praelium, noluerunt eum conterraneis suis qui Gallo militabant, manus conserere, sed congressi iungebant dextras, atque adeo Sfortia deditus Ludovico Carceri inclusus perit. Cluv. Epit. l. 10. c. 9. (x) de Germ. c. 33.*



audivimus, nunc nova calumnia homicidia impunita, aut certo armentorum & pecorum numero lui(y), quod sane defendere nolo, cum vix excusationem recipiat, nisi forte  
veniam

(y) Tac. de mor. Germ. c. 21. Luitur etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitq; satisfactionem universa domus, utiliter in publicum. Job. Boëm. de moribus Gentium. l. 3. c. 17. Bavarorum Legibus ita de homicidiis provisum est. Presbyterum si quis occiderit 300. aure appretiatos solidos, Diaconum 200. Ecclesie in qua ministravit exolvat, si pecuniam habebit nullam, seipsum, uxorem, liberos, servitio ejus mancipabit, donec statuta pecuniâ redimat. Si ducem aliquis interfecerit suum, interficietur ac ipse, ac res ejus confiscentur in publico in sempiternum. Ducis cedes parentibus aut regi solidis 960. componatur, Parentes ducis 600. observato ut Ducis compositio parentum suorum triplo excedat. Agilolfingi de quorum progenie dux perpetuo colligitur compositionem quadruplum habeant. Huosi, Trozzi, Sagavi, Hailingi, Anonii, primi post Agilolfingos duplam. Liberum quis interfecerit, Parentibus aut duci 80. solidos exolvat. Peregrinum qui occiderit solidis aure appretiatis centum multetur, Si quis occulte liberum occiderit, cadaver in profluentem aut alio abjectum condigna sepultura privet, 40. primum solidos, deinde Wergeldo, id est 50. solidis componatur. Notandum autem solam Ducis mortem morte rursus vindicatâ fuisse, quæ pœna & parricidio constituta erat, ac patet hinc pietas gentis, condonabant omnem eadem, præterquam parricidium, de publico jam audivimus, de privato subjiciamus, Legis verba ita nobis exhibet Boëmum; Si ducis stultus & arrogans filius, patrem adhuc iudicio præsidere, exercitum ducere, equum ascendere, arma gestare potentem, qui nec dum surdus, neque cæcus est, qui regis mandatum strenue exequi valet, malignorum consilio principatu deturbare nititur, exheredetur, aut si libet, in exilium perpetuum ablegetur, quia contra legem in patrem peccaverat. Et certe unicum Adolphi Egmondani Comitum exemplum ni existeret, nil haberent, quod objicerent maligni.

veniam impetret Martium illud seculum quo omnia vi-  
ctorem sequebantur, Certe *jus suum se in armis ferre, & omnia  
fortium virorum esse*, Senones illi qui Romam incenderunt,  
dicebant (z). Sunt tamen quæ & limitationem huic univer-  
sali locutioni afferre possint, legimus enim Sigarium &  
Austrefigilum Francos diu invicem inimicitias egisse, do-  
nec tandem hic ab illo occideretur. Nulla deinceps Siga-  
rio securitas, ab amicis & propinquis occisi undique pe-  
tebatur, ut lege talionis ipse quoque occideretur; Inter-  
venere demum Gregorius Turonensis Episcopus, & Judi-  
ces, argentumque ab Ecclesiâ Turonensi pro Sigario solu-  
tum, ut secure ab insidiis occisi amicorum vivere possit.  
Videtis ægre & vix magnorum virorum interventu impe-  
tratam reconciliationem, & quid si & Tacitus aliquando  
hallucinatus fuerit, (quem *Budæus* scriptorem omnium sce-  
leratissimum, *Tertullianus* mendacissimum, *Orosius* adula-  
torem appellat) (a), & vel ignorantia (b), vel etiam negli-

D 3

gentia

*Cum tamen, si propriam veritati reddere volumus, parricide  
nomen non meruit, ipse enim suo fato patris annos prævertit. Fa-  
ctum utique Germano nomine indignum narrant Lans. C. Germ.  
p. 897. & Justus Lipsius Mon. Pol. l. 2. c. 5. n. 9. (z) Liv. l. 5.  
(a) Lans. pro Germ. p. 60. parum quoque benigne cum Tacito a-  
git Autor Itinerarii Germania Politici p. m. 521. Hodie vix vi-  
deas, inquit, ullum scriptorem principe dignum haberi præ-  
ter Tacitum, cujus tamen lectio plus detrimenti quam emo-  
lumentum fere animis principum insinuare potest, quâ enim in  
re quæso politicam suam prudentiam, & admirabile acumen  
consumsit, nisi in artibus tyrannicis ac præstigiis aulicis sub-  
tiliter depingendis? (b) ignorantia multa commisisse falsa  
Tacitum certum est, dignum est ut adjiciam quæ de fine terrarum  
orbis memorat. de Mor. Germ. c. 45. Trans Suionas, inquit, ali-  
ud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi claudiq; ter-*

gentia hic peccaverit, quemadmodum in illo non levem agnoscimus errorem, quod Germanos, si bello destituantur, torpore ignavos procumbere, ac quieti se dedere, plus quam temerarie asserit; Ut enim taceam castissimos Germanos ipsum fateri, & castitatem ac inertiam una stabulare, vel Poëtae versus refutet,

*Queritur Ægyptus quare sit factus adulter?*

*In promptu causa est, desidiosus erat.*

Ut taceam plurimum temporis venationibus tribuisse, illud certe evincet, quod supra diximus, ipsos nunquam quietos externam quoque militiam si domestica non superpeteret petivisse. Manet ergo in multis circa Majorum nostrorum rempublicam lapsum Cornelium, ut & in illo non leviter impegit, quod Judæos ab Idâ, monte deduxerit (c).

Atque ita AUD. quæcunque ad regimen Teutonum spectabant absolvi, plura restant, sed quæ harum non sunt virium, dixi tamen sufficienter, si non pro materiæ dignitate, (quis enim hoc argumentum in quo jam doctissimi Viri desudarunt, sui laboris faciat?) attamen pro modulo

virium rarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam solis fulgor, in ortus edurat, adeo clarus ut sidera hebetet. Sonum insuper se mergentis audiri, formasq; Deorum & radios capitatis aspici, persuasio adjicit; Illuc usque (& fama vera) tantum natura. *Ita naufragi illi in Oceano Germanico Romani, ut quisq; ex Longinquo venerat, miracula narrabant, vim turbinum & inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum & bestiarum formas, visa sive ex metu credita. 2. Annal. c. 24. Tali fide consarcinata cum sit nostræ gentis historia, quis ubique equallem veritatem requirat?* (c) Ita enim ille l. 5. hist. c. 2. Judæos Cretâ insula profugos, novissima Lybia infedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Jovis pulsus cesserit regnis; Argumentum à nomine petatum inclytum in Cretâ Idam Montem,

virium, dixi & verè id est Germanice, neque enim majorum vitia defendenda mihi sumsi, suæ quæque reliqui æquitati, pugnavi tamen ubique, quod & decebat, pro gloria Populi Mei. Exigat hæc vel rigidior Catone censor, si non jam affectibus Gallicis & Italicis mentem deperdiderit, nihil hic habebit, quod non Autorum fide clareat: Et quis diutius dubitet de virtute nostræ gentis, cum vel exteris confessionem expresserit. Quicquid enim de Majoribus nostris memoriæ proditum est, id omne à peregrinis profectum, qui plerumque non bene affecti, certè hostes sæpe Germanis erant. Nec nos tantum à Majorum virtute degeneravimus, ut nomen posterorum tueri nequeamus, supersunt non solum antiquæ virtutes, sed & profecimus. Recte Bodinus: *Germani Humanitate Asiaticis, Militari disciplina Romanis, Relligione Hebræis, Philosophia Græcis, Geometria Aegyptiis, Arithmetica Phænicibus, Astrologia Chaldæis, Opificiorum varietate omnibus populis superiores sunt.* Nec minus P. Jovius, *Germani, inquit, non contenti sua veterè militiæ laude, qua Martium decus Romanis gentium victoribus ereptum, constanti discipline se veritate feliciter tuentur, ipsa etiam pacis ornamenta, literas optimasq; artes, decoquenti Græciæ, & Italiæ dormitanti quod pudeat, abstulerunt;* Ita Italus de Germanis, ita, quod majus, Gallus. Glorientur nunc illi, Germanos inopia discendi in Galliam venire, Olim quidem Massiliensium Gymnasium celebre erat, adeo ut Atheniensium Luminibus obstrueret, defecit nunc ea gloria, in Germaniam translata, ubi certe frequens omnium artium emporium est. Et si quid Gallia,

accolas Idæos, aucto in Barbarum cognomento, Judæos vocitari. *Æque fabulosa quæ deinde adhuc de origine & ritibus eorum disserit c.3.4. Veriora sed confuse tradit Justinus l.36. c.2.3.*



Gallia, Italia, Hispania, Britannia, usquam boni possidet  
*Germanorum est.* Nos sumus Gallorum patres, à Nobis An-  
 glia nomen descendit, & ut audacter dicam, **QVICQV ID**  
**PER EUROPAM NOBILITATIS EST, GERMA-**  
**NORUM EST.** Celtæ nos Hispaniis intulerunt, &  
 Germanos in ea populos commemorat Plinius (d); Semno-  
 nes Italiae, Angli Britanniae, Rhenani Galliae, Galatae Asiae  
 & quid si forte Germanæ cognationis Persæ (e), aut Mysij  
 Misenorū colonia essent, quod ut affirmare certo nō possū  
 ita tamen hoc constat, inter eas gentes quæ sinceram adhuc  
 tuesntur fidem nostram prævalere, Certe oculus Germaniæ  
 Misnia Misniæ Lipsia, Lipsiæ Academia. Hæc enim hanc  
 meam patriam cælo æquavit, hic illa Scientiarum lumi-  
 na fulserunt, quæ jure mirabatur illa ætas, adorât non in-  
 grata posteritas. Habuimus *Petrum Schadaum* cognomine  
*Mosellanum*, cujus eruditæ in Gellium notæ leguntur, bis  
 rectorem (f). Ter isto functus officio *Ioach. Camerarius* (g),  
 at quantus Vir, Claruit hic illud Poëseos *Sidus Conradus*  
*Bavarius*, *Fridericus*, *Müllerus*, *Corvinus*, *Rivinus*, noti sunt.  
 Hic seculi nostri *Varro Caspar Barthius* famam suam scri-  
 ptis in orbem diffudit. Noster incomparabilis *Reinesius*  
*fuit*, Taceo qui unus omniū loco esse possit Germanū Scæ-  
 vulam

(d) l. 3. H. N. c. 6. Oretani qui & Germani cognominantur  
 Tago flumini impositi. (e) *Boxhornius Ep. 206. ad Blancar-*  
*dum*; Persas ex Scythis ortos esse, veterum etiam testimoniis,  
 abunde constat, neque alios majores cum Germani nostri a-  
 gnoscant, aut agnoscere debeant, quam Scythas, cognatū  
 quoque, & si dialectum aut paulo diversam pronunciandi ra-  
 tionem exceperis, eundem harum gentium sermonem esse,  
 necesse est: *digna est hac epistola legi à quovis Germanica anti-*  
*quitatis studiose.*



vulam. Magnum *Carpzovium*, quo *Benedicto* utinam diu-  
 tius uti licuisset, & qui melioris Christianismi ante Lu-  
 therum præco erat *Andream Prolem* (h). At quæ jam sine  
 vitio monstra horremus! Loquetur ea fama operosaque  
 scripta æternitati inferent. Mihi satis fuerit dixisse, o-  
 mnem nostram felicitatem à nullo alio fonte quam princi-  
 pum benignitate processisse: Hi continuatà Virtute Ele-  
 ctoratum meruerunt, hi in invictissimos Saxones imperium  
 nacti illud tanto majus effecerunt, quanto ipsi reliquis præ-  
 stabant principibus. FELIX ERGO SAXONUM GENS, FE-  
 LIX QUÆCUNQUE SAXONICO SCEPTRO REGITUR, FELIX  
 PERENNI DUCUM VIRTUTE, FELIX ANTIQUÆ STIRPIS  
 ÆMULATIONE.

*Gens aquæva polo, dum demum ferrea sumet  
 In Te jus Lachesis, cum sic mutaverit axem  
 Fœderibus natura novis, ut flumine verso  
 Irriget Ægyptum Tanais, Meotida Nilus,  
 Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis,  
 Caucasusq; jugis calido nigrantibus Austro,  
 Getulas aquilo glacie constringet arenas (i).*

E GER-

(h) *Clav. Epit. l. 10. c. 9.* (i) *Claudian. de bello Getico.*

*GERMANOS ELEGANTISSIME  
 A CONRADO CELTE, GERMANO POETA PRI-  
 mo, descriptos, ita nobis exhibet Ioh. Boëm. de Mer.  
 Gent. L. 3. c. 12.*


**G**ENS invicta manet toto notissima mundo  
 Terra ubi è devexa globo demittit in arcton,  
 Solis & algoris patiens, duriq̃ue laboris,  
 Ingrata ignavam vitæ tolerare quietem.  
 Indigena aut alia ducens primordia gente,  
 Sed cælo producta suo, Demogorgonis alvus  
 Protulerat: patulas ubi cuncta creata sub auras,  
 Germanos vocitant Itali Graji sed Adelp̃hos,  
 Quod fratrum soleant, inter se vivere more.  
 Nomen nobilibus quod adhuc venerabile nostris  
 Pectoribus, similes ingentes corporis artus  
 Prodigia cui natura dedit, per lactea colla  
 Candida proceris tollentes corpora membris,  
 Flava coma est flaventq̃ue oculi, flavoq̃ue colore:  
 Temperie justam retineat sua membra staturam,  
 Vox habitum mentis cum gestu & pectore prodit,  
 Vox quæ nil muliere sonat, sed tota virilis  
 Martia crassiloquo testatur corda palato,  
 Commune his studium venari, equitare, vagari  
 Atque suum varias victum quæsisse per artes:  
 Vel Bachum viduis crescentem jungere palis,  
 Arvaque quadrijugo proscindere pinguia aratro,  
 Nec patrio tepuisse solo juvenilibus annis,  
 Sed mox doctiloquæ præcepta adisse Minerve,

Vel



Vel vaga veliferas duxisse per æquora Naves,  
 Atque suis terris varias adducere merces,  
 Nec censere nefas animum intendisse rapinis,  
 Dum fera belligeri meditantur prælia Martis,  
 Atque illum celsas regum quæsisse per aulas,  
 Quattuor ad fines, quas Teutonis ora coercent,  
 Sive per Herciniæ nemorosa cacumina sylvæ  
 Dentatos proiternere apros silvisque vagantes  
 Æripedes cervos, urfosque agitar eferoces.  
 Unguibus accipitres trucibusque jubere rapinas  
 Tollere & evulsas dispergere in æthera plumas.  
 Hinc animus dubiis audens se credere rebus  
 Nec segnis timidusque mori, roseumque cruorem  
 Pro patria & charis certans effundere amicis  
 Atque avidus cædis, si qua injuria læsit,  
 Quique fidem sancto & constanti pectore servet,  
 Religionis amans, superumque & cultor honesti,  
 Et veri justique tenax, Mensconsona labris  
 Ficta coloratæ fugiens mendacia linguæ.

*SOLI DEO GLORIA.*



Vel



113+

AKTK 1494

1017

114



